



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ioannis Macherentini Societatis Iesv Theologi,  
Explanatio Catechismi Catholici**

**Macherentinus, Johannes**

**Colon., 1612**

Institutviones Philippo Primo Genito Filio A.S. Ludouico rege sub mortem  
propositæ venerabilis patris Laurentij Surij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39397**

INSTITVTIO-  
NES PHILIPPO PRI-  
MO GENITO FILIO A. S.  
Ludouico rege sub mortem propo-  
sitæ venerabilis patris Lau-  
rentij Suriij.

*Charitas.*

Ex IV.  
Tomode  
sanctis.

**F**lli mi, ante omnia diligenter in eam cu-  
ram incumbe, vt diligas Deum: nemo e-  
nim potest esse saluus nisi Deum amet.

*Oidium peccati.*

Caue ne vnquàm admittas peccatum  
mortiferum, sed omnia potius ferre velis ge-  
nera tormentorum, quàm aliquam talem  
perpetrare culpam.

*Patientia.*

Cum aduersa accidunt, feras æquo ani-  
mo, & cogites te commeruisse, atque ita lu-  
crum indè tibi accedet.

*Humilitas.*

Cùm rebus prosperis frueris, humiliter  
agas gratias Deo, ne indè animo elatus, effi-  
ciaris deterior, yndè te oportuit fieri melio-  
rem.

Com

*Confessio.*

Crebro confitearis peccata tua, deligasq;  
tibi sapientes confessarios; qui te possint in-  
stituere & docere, quid agere, quid vitare te  
oporteat: & coram illis ita te compares, vt  
audeant syncerè te reprehendere, & vitia tua  
indicare tibi.

*Precandi studium.*

Officium diuinum deuotè auscultes: fa-  
cessant tibi fabulæ & nugæ, nec oculi huc at-  
que illuc circumferantur: sed ores Deum o-  
re, & etiam meditando corde, idque præci-  
puè sub sacrificio post peractam consecra-  
tionem.

*Misericordia.*

Animo sis pio & humano ergà pauperes  
& calamitosos homines, illisq; pro viribus  
opituleris. Si quid angat animum, id mox  
explices confessario tuo, aut alicui viro bo-  
no: ita fiet, vt facilius id feras.

*Qui adsciscendi, itemq; vitandi.*

Da operam vt quorum vteris consuetu-  
dine & familiaritate, ij sint homines probi  
& integri, siue religiosi illi sint, siue seculares,  
& cum illis libenter misce colloquia: Porrò  
nequam & improborum virorum commer-  
cia deuita.

*Conciones, Indulgentiæ.*

Sermones, qui fiunt de Deo, publicè &  
priuatim, lubens audias: Preces quoque &  
con-

condonationes siue indulgentias studiosè  
expetas. Amato bonũ, odito malum omne.

*Obtreſtationes cauenda.*

Vbicunq; fueris, nemo auſus ſit quicquam eiufmodi te præſente eloqui, quod alliciat ad mortiferum peccatum, aut alterius famæ deroget: nec tu vnquam de vllò malè loquaris obtreſtandi animo. Non patiaris quenquam, te audiente, peruerſè de Deo aut ſanctis eius loqui, nec id ſinas impunè abire.

*Gratitudo.*

Crebrò gratias agas Deo pro bonis omnibus ab illo tibi collatis, vt dignus ſias potiſſimis eius beneficijs affici & augeri.

*Iuſtitia.*

In adminiſtranda iuſtitia ſis rectus & ſeuerus, & ita vt leges præſcribunt, eam exerceas erga ſubditos, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram deflectens: Pauperumque querimonias non reiicias, donec veritas innotefcat. Si quis habeat aduerſum te querelam aut controuerſiam, ſemper ab illo ſtes contra teipſum, donec rem certam comperias. Ita enim fiet vt conſiliarij tui ſidentius iuſtam ferant ſententiam.

*Reſtitutio.*

Si quid poſſideas rei alienæ, etiam ſi id acceperis à maioribus tuis, incunctanter reſtituas

tuas iusto possessori, vbi certò id tibi consti-  
terit. Sin autem dubia res est, cura vt viri sa-  
pientes accuratè & sine mora inquirent. Id  
enim vel maximè studere debes, vt qui sunt  
in ditione tua, pace & iustitia fruantur, in  
primis homines religiosi, & q in clero sunt;  
parentibus tuis debes amorem, reuerentiam  
& obedientiam.

*Ecclesiastica beneficia dignis conferenda.*

Beneficia Ecclesiastica non conferas nisi  
bene dignis, & qui nulla eiusmodi beneficia  
habeant, idque ex consilio bonorum viro-  
rum.

*Pax.*

Bellum, præsertim aduersus quemlibet  
Christianum, sine multo consilio vide nè  
fufcipias. Si necessitas cogat fufcipere, Eccle-  
sias & infantes nullo patiaris damno affici. Si  
qua existat vel tibi, vel subditis tuis conten-  
tio, vel bellum, quo ad poteris, componere  
& sedare coneris. Vide vt bonos habeas præ-  
tores & magistratus, & de illis & solerter in-  
quiras, vti se gerant.

*Reuerentia erga Romanum Pontificem.*

Semper sis addictus & deuotus Romana  
Ecclesiæ, & eius Pontifici haud secus, atque  
spirituali Patri te morigerum præbeas. Da  
operam, vt impensæ tuæ moderatæ sint, &

Ss

ratio

rationi consentaneæ. Sub finem hortor &  
adiuro te, fili mi, vt si me contigerit ante te  
migrare ex hac vita, vt toto regno Franciæ  
pro anima mea cures offerri Deo preces &  
Missæ sacrificia. Ad extremum, fili charissi-  
me, quicquid boni potest bonus & pius pa-  
rens precari filio suo, id ego precor tibi. Sa-  
cro sancta Trinitas & sancti omnes seruent  
te ab omni malo, præstetque tibi Deus gra-  
tiam rectè semper agendi, & ipsius faciendi  
voluntatem, ita vt ille per te honoretur, &  
nos possimus post hanc vitam pariter esse  
cum illo, eumque contemplari & lau-  
dare per infinita sæcula sæculo-  
rum, Amen.



IN-